

Disertatio Theologica,
Sistens
Principia Recentioris Theologiæ,
Critice aijudicata,

Cujus

Partem Quartam

Consent. Max. Vener. Facult. Theolog. Aboëns.

PRÆSIDE

Mag. JACOBO BONSDORFF,

*S. S. Theol. Doct. Profes. Publ. & Ordin. Semin. Theol.
Direct. nec non Fac. Theol. h. t. Decan.*

publico examini modeste offert

JOHANNES ABRAHAMUS JUNG,

Verbi Div. Minister.

*In Audit. Theolog. die XVII Decembr. MDCCCXXIII.
h. a. m. f.*

ABOË, Typis *Frencckellianis.*

Eodem fere modo ac argumento, quo Divinam Jesu tuiti sumus naturam atque cum Patre coëxistentiam, Divini quoque Spiritus personalitatem, ut dicunt, demonstrabimus. Esto enim, difficillimum & pæne impossibile manere interpreti, omnia Scripturæ loca, in quibus Divinus Spiritus, *ὁ πνεῦμα τοῦ θεοῦ ἁγίου*, commemoratur, evidenter adeo explicare, ut manifestum sit hocce discrimen personalitatis a potentia s. virtute Divina, aut ipsa natura Christi Divina, aut quoque donis Spiritualibus, quæ per metonymiam ita vocantur ab auctore suo; Interim tamen longe certissimum argumentum est, quod ducitur *tum* ex attributis Divinis, omniscientia, æternitate cet. Spiritui Sancto assignatis, *tum* ex operibus Divinis, speciatim sanctificatione hominum & donorum omnium Spiritualium distributione, *tum* quoque speciali nomine *τὸ παρακλήτης*, quem a Christo mittendum esse expressa fuit Christi promissio (a), *tum* denique ex cultu Divino Spiritui Sancto una cum Patre & Filio debito jure exhibendo. Quo enim tenderet baptismalis Sacramenti sanctitas, quo pia omnis contestatio auxilii Divini in indigentis nostris sublevandis saluberrimi; quo tenderent preces & vota ad pietatem omnem excitandam, nisi certum esset, Sanctissimi Spiritus ope ac adstantia hæc omnia promoveri? Quamdiu ergo Divino verbo suus insit necesse est honos suaque auctoritas, quam nemo sine blasphemia denegaverit, subsistamus in simplici fide hujus mysterii de Sancta Trinitate; simusque probe memores asseriti Paullini (1 Cor. XII. 9 — 11): cognitionem nostram omnem in hac vita satis esse mancã & partialem. Quicquid vero cognoscimus certum & definitum de Deo ejusque infinitis beneficiis, id manifestavit nobis ipse Deus, speciatim per Christum, *λογὸν πρὸς τὸν θεόν*, (Joh. I: 1) a

G quo

a) Cfr. Joh. XIV: 16, 17, 25. XVI: 7, 13.

quo vita omnis & salus æternum promanabit. Plura aut altiora sapere velle, temeritatem proderet quovis ingenuo indignam interprete.

§. 3.

Doctrina de Creatione.

Palmariam veritatem de ortu mundi totius a Deo, æterno illo ente ac independente, antiquissima jam proposuit revelatio Divina, otiosas omnes & inanes philosophorum gentilium de mundo quodam æterno aut atomis infinitis uno quasi ictu præcidens disceptationes; qua in simplicissima idea Entis perfectissimi, quod cælum & terram creavit, universa religio patriarcharum & Mosis volvitur perficiturque; id quod unanimi consensu omnium temporum Theologi fassi sunt. Neque potuit discrepantia quædam de ipso consilio s. fine creationis suboriri. Sed in ipsa historia creationis gravissimæ motæ sunt novissimis temporibus quæstiones, quas hoc loco minime præterire decet. Puerilis dudum ista evanuit opinio, universam Mosis narrationem utpote a Deo inspiratam propriissimis explicandam esse verbis, unde sequeretur, primævam hanc a Mose conscriptam fuisse historiam totius mundi, nec ante ævum Mosaicum ulla fuisse elementa orbis cujuscunque; totum vero stellatum mundum uno hexaëmeri die procreatum, quin & omnia eo ordine ortum duxisse, quo perscripta exstant. Pueriles hos lusus exterminavit sobria crisis recentiorum interpretum, qui quidem optime docuerunt, non modo adversari revelationis consilio, physicas & cosmologicas sistere rerum arcanarum causas, verum etiam in antiquissimo hoc scripto Mosaico exhiberi philosophema quoddam primorum

rum temporum stilo suo symbolico conspicuum. Quis enim anthropomorphismum Deo dignum hic non sponte inveniet? Quis Deum figuli instar hominem reapse ita ex luto formasse & fœminam ex ejus costa, vanus postulare, quum uno quidem momento Divina potentia vitam dare hominibus potuerit? Stilum figuratum a simplici illo discernere, non omnino otiosus labor; sed nec semper is succedet labor in rebus ambiguis & longe supra sphæram intelligentiæ humanæ positis. Quis in consilio Divino adfuit? Fatentur ergo sagacissimi interpretes se multa nescire, multa ex humano more & stilo dicta rescire; quod eos meminisse juvabit, qui in universa Theologia recentiori novas inferri ideas clamitant. Aliud nempe est, omnem subvertere velle interpretationem justam, fabulasque pro simplici historia substituere, aliud vero modestam accuratamque dictorum Sacrorum inire censuram, sine qua nemo dogmatum extricare valebit veram ideam. Ut itaque ad ipsam creationis historiam propius examinandam veniamus, observamus:

Primo, probabilissimam esse sententiam, Mosen ex antiquissimis monumentis suæ gentis, ore ut plurimum traditis, uec sine numinis interventu in prima sua origine prolatis, hausisse antiquam hanc historiam, quam suo modo & consilio demum retractavit composuitque; siquidem cogitari nequit, primos homines & patriarchas, apud quos verus Dei cultus mature satis invaluit & per Divinam revelationem promovebatur, tardos adeo aut hebetes fuisse, ut primævam Dei Supremi apparitionem institutionemque ipsis datam traditione quadam posteris suis non enarrarent ac propagarent. Certe non tantum genealogias, verum etiam primordia mundi ac generis humani, nec non res memorabiles varias posterorum in-

G 2

fixe.

fixerant memoriæ; Ex quibus omnibus quasi Annalibus Moses historiam gentis suæ conficere Divino sub auspicio potuit. Et quod ad historiam creationis specialem attinet, in qua, rite monente EICHHORN & GÄBLER, duplex videtur esse recensio s. monumentum, pro diversa Divini nominis forma, Elohim & Jehova, aliud Cap. I — II. v. 3. aliud C. II. v. 4. - obveniens; prius quidem ab ante-Mosaico scriptore antiquissimo, posterius vero, nomine Jehova notatum, ex Mosis ore profuixisse, inde maxime colligi nostra ex sententia poterit, quod hæc denominatio Dei, Jehova, Mosis primum a Deo ipso ei apparente manifestata fuerit; cfr. Exod. III. 14, 15. Hinc ratio in aprico est, cur Moses eodem hoc Divino nomine promiscue in primo suo Libro, res gestas patriarcharum recensens, utatur.

Secundo quæritur, utrum primam totius mundi cœlestis & terrestri creationem, an instauratam hujus nostræ telluris illam significare voluerit Scriptor divinus. Certum quidem est, generalem esse sententiam Cap. 1: 1 in *exordio Deus creavit cœlum & terram* h. e. quum nihil adhuc existeret, cœlum & terra creabatur; mox autem ad telluris imprimis describendam creationem devolvitur facer Scriptor & suo ex stilo populari rem describit. Non autem postea cosmologiam primam & universam hic locum reapse habere, licet Scriptor ipse suo ex ingenio id indicaverit, innumera evincunt tum ex immenso stellati mundi numero diversoque ordine, tum ex sapientia Creatoris omnipotentissimi, tum quoque varia cœlestium naturarum intelligentium gradatione desumpta argumenta. Immo ipsa hujus telluris facies atque interna structura, multitudo monstrorum marinorum in imis terræ visceribus detectorum, animalium in montium radicibus petri-

fica.

ficatorum una cum conchis & fragminibus ferarum vix amplius inveniendarum e. s. p. probabilem reddit hypothefin, ab indagatoribus naturæ sagacissimis, *Silberschlag*, *Bergman*, *Buffon*, *Cuvier*, *Ballenstedt* al. propositam, plus una vice metamorphofin subiisse tellurem, licet vel maxime concedatur, diluvium Noachicum aliosque terræ motus multas conversiones fecum tulisse. Sed sunt hæc omnia stupenda magis, quam explicatu facilia: nec omnino pertinent ad Revelationem, quemadmodum nec aliæ notitiæ physicæ ac naturales a Divina inspiratione aut institutione erant expectandæ. Iniquum ergo esset, Mosaicum Cosmographum tantæ sapientiæ organum habere, aut, quia non fuerit, taxare. Id certum manet, hunc corporum terrestrium atque humani ipsius generis ordinem atque incunabula nonnisi ex Geneseos libro dignosci, evanescentibus quibuscunque aliis gentium profanarum mythis.

Delabimur hinc *Tertio* in agitaram diu quæstionem de modo narrationis sive stilo scriptionis. Fuere quidem multi recentiores, qui mythicum dicendi genus adeo præoptarent, ut non dubitarent sacram historiam cum fabulis gentium comparare, atque pro certo statuere, antiquissimum tempus fuisse mythicum. Indefinite fati & sine justa crisi! Si enim Homeri fabulas, Hesiodi *Θεογονίαν* & Ovidii *Metamorphoses* al. cum Mosaicâ historia conferre pro rato & iusto habent, quis non stupet, aniles mythos cum vera historia confundi, & summa imis misceri? Sin vero mythi nomine has aliasque picturas sive imagines significant, cur abutuntur vocabulis sensumque eorum ad longe alium flectunt? Ficta est tota quanta Mythologia & *Θεολογία* gentilium, nec fere quidquam solidi in recessu habet; quamquam certum sit,
ab

ab origine Deos gentilium fuisse homines illustres, Reges. Incautusne mythologiam Mosaicam ex cerebro finges? Annon omnis narratio ad veritatem eventus refertur? Terræ instaurationem s. creationem Divinam per omnipotentiam in ipsa hominum primorum creatione, absolutam fuisse, iisque Deum quocumque sub symbolo apparuisse, monita dedisse, fuisse, amœnissimum locum commorationis impertuisse & quæ reliqua narrantur, ad fidem maxime sunt prona. Sed simplicem hanc narrationem impropria quoque sive figurata ornatam esse dictione, quemadmodum in omni infanti sermone varia adduntur ex prosopopeia & anthropomorphismo, itidem patet; adeoque proinde colloquium numinis tecum aut in cœtu suo cœlesti, deliberatio, approbatio, actio universa & demum cessatio ab opere & quasi levamentum, ad litteram non est explicandum, sed ex stilo populari. Quis in iis omnibus hærebit, utrum proprio an figurato scriptor utatur stilo? Sunt quoque multa ex optica rerum forma petita, v. c. opera quartæ diei, qua Sol, luna & stellæ creatæ dicuntur, quia dissipatis nubibus, terram eousque cingentibus, luminaria cœlestia apparere inciperent. Neque non sublimem esse totam hanc dictionem de Deo & creatione profani ipsi philosophi v. c. *Longinus*, contestati sunt. Multo magis Christianos decet Theologos Divinæ revelationis veritatem ac modum proba agnoscere fide. Qui enim ex *una* parte Divinam non cernunt revelationem primis hominibus impertitam, adeoque etiam in ipsa hac historia, patriarchali dicam an Mosaica, declaratam, quomodo causam primam dabunt verioris Dei cognitionis antiquissimæ? unde monotheismi sublimitatem in infantia humani generis exortam, dein in Hebræa gente propagatam, immotam explicabunt? Reperunt quidem nonnulli, polytheismi antiquissimi

simi semina servari in plurali numero אלהים, adeoque primos fingunt homines polytheistas fuisse, id est, multos coluisse Deos, donec Mosaico ævo clarius oriretur religio. Quis vero est qui non videt, & Mosén ipsum & ante-Mosaicum Scriptorem ipso hoc Dei nomine obicem ponere voluisse stupidæ illi superstitioni, cito jam ante & post Diluvium ingruenti? Quis nescit pluralem numerum eminentiæ in linguis Orientalibus exprimere superlativum gradum singularem? Procul ergo absit, excogitare mythos quosdam polytheismi in unico hoc vocabulo, cui respondent multa alia unius Dei epitheta, ad alium sensum minime torquenda. Quod si vero libuerit tantisper in 1:0 & 2:0 Geneleos Capite polytheismum expiscari, fac quæso periculum translationis in hanc mentem—: in *principio creavit Dii* e. s. p. Ecquis est, cui tota hæc philosophandi ratio ludicra & dissoluta non videatur? reliqua omittimus argumenta ex contextu ipso satis emicantia. Instituisse ergo Deum creatos a se homines primos in principali illa de Deo veritate, non est quod vel tantillum dubitemus. Sed ex *altera* parte modum narrationis popularem & figuratum esse teneamus, quamquam ex omnibus numeris eundem definire & a propria narratione discernere non valeamus. Quantum enim & quomodo Divinum Numen se revelaverit, impervia semper manebit res. Cernitur id inprimis in hexaëmeri computatione, quam aut realem mundi creati continere descriptionem, aut poëticum s. populare inventum esse patriarchali ævo jam conditum, diu disputarunt Philologi. Et nisi omnia nos fallunt, haud obscura videntur esse indicia popularis argumentationis ac stili poëtici, si primi & quarti diei opera inter se conferimus. Nullo nempe modo nisi per phantasiam poeticam luminis & Solis instituerè discrimen, longamque inferre seriem creatarum rerum,

Solis

Solis, Lunæ & stellarum, quæ tot sunt systemata solarum separata, dabitur. Immo sex dierum dimensio non potuit non esse reficta ad morem & captum humanum, qui res creatas in clasces & ordines qualescunque solet dispescere, quum e contrario Divina sapientia pariter atque omnipotentia perfectissimum hominibusque imperferutabilem sequatur agendi modum. Eslet ergo frustra labor, succinctam Cosmogoniam sex dierum spatio absolutam ex Mosaica historia exsculpere velle, id quod fati colligitur variis ex hypothesibus multorum, hos dies aut tanquam annos aut longiores periodos computandi. Observarunt quidem nonnulli, hexaëmeri œconomiam veram parum offendere posse, quia & dignitati Dei & successivæ omnium rerum origini apprime convenire videatur, inprimis vero quod Sabbati sanctificatio non possit, eorum ex mente, ficto quodam monumento substrui. Tum vero sequeretur etiam id, quod reapse in Deum non cadit, Eum ab opere suo quievisse. Ceterum, quæso, quam contradictionem involveret, Deum velle diem quendam sanctum haberi ab hominibus, quia humano more de Deo loquentes homines certum diem consecraverint? Ad fidem quippe pronum est, creationis historiam longo dudum ab ævo Patriarcharum jam celebratam fuisse, quare Moses (Exod, XX: 11.) jure ad eam alludit, quum legem de sanctificando Sabbato Dei nomine promulgaret, quæ tanto majorem vim in Israelitarum culturam ac mores exfereret, quanto vividius memoriæ eorum infixæ eslet avita majorum de Divinis summis beneficiis traditio, quam litteris demum mandavit Moses & cum suis conjunxit rebus gestis, in populi sui attentionem excitandam dignissimam. Quidcunque autem de Hexaëmeri inventionem judicaverimus, saltem sublimem proponi rerum omnium dispositionem ac ordinem Divina
 ex

ex sapientia profluentem pronuntiabimus. Quum gentiles philosophi de æterna materie, de fato & emanatione, sive subtiliori sive crassiori, de duplici principio rerum, bono & malo, lucis & tenebrarum, miserum in modum somniarent, Divinitus edocti patriarchæ & Moses, omnem originem & transmutationem mundi a Deo, summo Creatore, tantum arcesunt, atque ad Divini Numinis gloriam omnia referunt. Quanta puritas in Religione, quanta sublimitas in dictione, quanta vis in gente moderanda! Negari omnino nequit, fundamentalem doctrinam de Deo basin universæ legislationis & moratoris politicæ, non modo in Hebræa gente, verum etiam aliis cultioribus gentibus sternere valuisse a).

§. 4.

Doctrina de Angelis.

Ad majestatem Divinam, non modo in creatione universi, sed etiam conservacione ejusdem conspicuam, pertinere, ut naturas intelligentes multo sublimioribus præ homine ornatas facultatibus, cogitemus, ratio ipsa dicitur; atque stupidam proderet ignorantiam, qui spirituum ejusmodi sive angelorum aut existentiam aut insignem varietatem & destinationem negaret. Verum enimvero nec fundamentalem in religione nostra, neque cognoscibilem esse hanc doctrinam tanto potiori asferitur jure, quanto certius sit, eam in Scriptura Sacra plus in transcurso & exempli loco, quam de industria tractari. Inanem ergo sibi sumserunt laborem nonnulli jam Patres Ecclesiastici, qui, fines transcendentis cognitionis humanæ & revela-

H

tio-

a) Præ ceteris legatur *Jerusalem*, Betraktelser öfver Relig.

tionis, ipsum creationis tempus, naturam, munera, varietatem & sedem propriam Angelorum definire voluerunt. Unde enim ista pateret cognitio? cui usui eadem esset nobis in hac sublunari statione, & quibus instrumentis opus esset ad propiorem cum Angelis consortionem? Sunt tamen quædam certa nec infructuosa in hac doctrina momenta. Ut enim nemo sanus infringere potest, discrimen esse bonorum & malorum Spirituum, ita quoque hinc discere juvabit, Deum justum esse vindicem, qui bonos in sanctitate confirmet, malos puniat arceatque. Ad bonos ergo, qui proprie Angeli appellantur, quod attinet, eorum omnino læpius mentio facta est in historia Veteris ac Novi Testamenti, eosque interdum revera apparuisse hominibus, indubitatum reddit stili ipsius simplicitas connexa cum variis circumstantiis, actum probantibus. Vera scilicet Angelophania, qualis in historia Patriarchali & Evangelica occurrit *a*), luculenter satis distinguitur ab ea, quæ aut per tropum de extraordinariis naturæ phænomenis valet v. c. Pl. CIV: 7. aut per visionem & phantasiam introducit v. c. a. Propheta Jesaia Cap. VI: 0 Dan. X: 13 & Zacharia Cap. I: 11. Multa quoque seriori tempore forsitan Judæorum ex opinione addita sunt, quæ ab origine non exstabant. Sic in promulgatione legis Mosaicæ, Moses omnino silet Angelorum præsentiam, eandem vero Novi Testamenti Scriptores ex gentis suæ opinione mutuantur; Qua in re superfluum esset, revelationem seriore[m] fingere velle. Quomodo demum Angeli apparituri sint extremo in judicio circa thronum Christi, vix disputabimus, quam longe festivior sine dubio ea scena erit, quam quæ humano more de-

a) v. c. Gen. XVIII: 1 f. Matth. XXVIII: 1 — 6. Act. VII: 26 — X: 4 — XII: 7 — 12 cetera bene multa ut prætermittamus.

describitur. Bonorum porro Angelorum ministeria nos latere, fatius esset fateri, quam cum Patribus Ecclesiasticis, *Hierma, Clem. Alexandr. Origene*, al. ita definire velle, ut quævis gens, familia, immo quivis homo angelum suum tutelarem habere crederetur; quod certe pertinet ad Orientalium gentium opiniones, mero ex ingenio formatas; unde tamen minime sequeretur, Deum sapientissimo suo in regimine totius mundi his atque aliis non uti posse organis ad sua exsequenda consilia longe saluberima, prout Servator ipse sanctissimus Matth. XVIII: 10. innuere quodammodo videtur. Sed his atque aliis abstrusioribus dictis universum dogma superstruere non licet. "Interim cavendum videtur (verba sunt sagacissimi DOEDERLEIN) ne, historiam angelorum indagantes, dum multa ob verarum causarum ignorantiam invisibili Auctori adscripta animadvertimus, multasque ideas temporarias nedum fictitias interdum admixtas reperimus, eo nos adduci patiamur, ut vel angelorum existentiam profus negemus, vel contra fidem historicam omnes eorum apparitiones rejiciamus, quod invitis scripturis non sine violenta auctorum distorsione quidam aggressi sunt".

Intricatior autem semper habita fuit doctrina de dæmonibus s. Dæmonologia, sive rationem habeamus universi systematis dogmatici, sive exegeticas consideremus, quibus premitur hæc doctrina, difficultates; quare nec miremur, in tanta rerum & repugnantia & incertitudine, contrarias foveri in ipso Symbolico nostro ordine sententias. Quum multi Augustinum & Scholasticos secuti religionis ipsius, immo Dei causam agi hac in re temere putent, ideoque omnem sermonem Biblicum, figuratum & popularem *κατὰ ἔθος* explicando, regnum existere Satanæ, in quo non modo infideles omnes suo sub

imperio teneat, sed quoque fideles multiplici tentationum fraude teneat constrictos, haud sine consternatione opinentur, alii rursus Thomafium, insignem Seculi XVII Philosophum, & ex patribus Eccl. Pelagium secuti, vim omnem & existentiam dæmonum enervare nituntur. Mediam vero viam nobis præverunt moderatiores Theologi Recentiores, ERNESTI, MORUS, DOEDERLEIN al. nec possumus non eorum laudare judicia. Scilicet existere malos genios haud impugnabimus, quoniam ex ipsa analogia & Scripturæ Sacræ testimoniis id sequi videatur. Neque tantopere repugnabimus, fieri potuisse, ut in longe atrocissimis hominum criminibus, ut quoque corporis vexationibus Christi tempore aliquem influxum mediatum haberent impuri quidam spiritus. At vero continuam realemque iis sive eorum principi, Diabolo, concedere vim in animos hominum, ad vitia quævis excitandos, e diametro repugnat principiis religionis nostræ sanctissimæ, nec non Scripturæ analogiæ. Atque quum male intellecta hæc doctrina variis fuerit temporibus superstitionis feracissima, multique pro ea tuenda ad litterarum sacrarum provocare soleant testimonia, penitus rem indagasse universam convenit. Ordiamur ab exægeticis. — Et *primo* quidem mirum est, in toto codice veteris Testamenti, usque ad captivitatem Babylonicam nullibi propriam commemorari potestatem Diaboli, sed causam impietatis in refractaria poni mente & idololatriæ paganae infano studio. Nam quod in initio Jobei carminis *יָוָה* adversarius, accusator Jobi in medio filiorum Dei (Angelorum) coram Deo se sistere, & Deo permittente plagas Jobo inferre dicatur, id manifeste ad fictionem Poëticam pertinet, quare nec ulterius in hoc carmine, in quo providentiæ Divinæ ratio una cum imbecillitatis humanæ flebili sorte ex instituto quasi disseritur, maledici
hujus

hujus genii inducitur actio. Prophetica quoque est visio Zachariæ Cap. III: 1, tanto minus ad rei veritatem exigenda, quanto apertius jam pateat origo popularis hujus fictionis. Nam ad fidem omnino pronum est, Judæos, prout ipsi Rabbini eorum fatentur, ex Babylone s. Oriente Dæmonum deduxisse (in patriam suam) tum nomina tum theoriam; siquidem vulgatissima erat apud Persas opinio de duplici principio, bono & malo, lucis & tenebrarum, illo quidem *Oromaze*, hoc *Ahrimano* nominato. Quid ergo? Cum Judæi ab hoc inde tempore multas hypotheses de Dæmonibus & mutuarentur a peregrinis gentibus & ipsi adderent, quæ erat Rabbiorum, maxime Phariseorum, insignis industria, hasne omnes Divina revelatione confirmatas quocunque demum ex capite habebimus? Sed incidunt hæ hypotheses in Christi ejusque Apostolorum ætatem; — Igitur *Secundo* quæritur, quid & quomodo in Novi Testamenti scriptis hac in re disleratur; utrum proprie ac subtiliter, an populariter ac figurate? Quod si enim ratum fieri posset & probatum, Christum in sermonibus suis cum Judæis reapse pravitatem omnem ex impuri spiritus influxu s. efficientia derivasse, adeoque ipsi huic *καρδιογνωση* persuasum fuisse, ita rem se habere, nihil utique esset ulterius discutiendum. Sin vero haud obscura sint vestigia sapientissimi characteris, quo sui temporis præjudicia toleranter & circumspecte tulerit Divinus hic præco & internuntius, æternus *λογος*, quia nec ejus erat consilium physicam rerum pandere naturam, nec "unquam doctor popularis errores omnes aggressus est & profligavit" (verbis utimur *Döderleini*) profecto propriam argumentandi rationem delerere necesse est. - - An alio stilo & ratiocinandi genere utendum erat Christo & ejus Apostolis, quam quod tempore eorum maxime erat vulgare? Sed, rege-
mul.

multi nec sine causa, "Religionis doctorum erat errores ac præjudicia vulgi eradicare, non autem confirmare". Immo vero qui statui potest, Christum, disputantem cum Phariseis Joh. VIII: 44 eos quippe (descendere) esse a Diabolo, tanquam patre, voluisse hunc errorem confirmare? Stilo utitur familiari, nec aliud significare voluit quam similitudinem esse inter Diabolum & acerbissimos Jesu hostes, qui miracula ejus non tam negabant, quam per Diaboli vim effecta esse calumniabantur. Quo alio stilo uti debuerit, non perspicitur. Quin etiam frustraneus fuisset labor, opiniones vulgi radicitus evellere. Probabitur hoc alio exemplo a Jesu sermonibus cum suis discipulis desumpto, quo Messiani sui regni, Spiritualis, interni, naturam tantopere commendans fidem tamen ipsis ægre extorquere potuerit, sed puerilibus ipsorum parcens opinionibus, ad futuri temporis ablegat eos scenam, ad sinum Abrahami variosque imperii honores. Suspensos eorum tenuit animos, donec temporis decursu omnia ipsis fierent plana. Ceterum quod attinet ad formulas: *δαιμονιζεσθαι*, *δαιμονιον εχειν* e. i. p. earum usus in græcis & Alexandrinis Scriptoribus satis arguit, opinionem vulgi morbos quosvis insanabiles, delirium, rabiem, epilepsiam, cet. ex influxu dæmonum derivasse, unde tamen nemo rei veritatem judicabit confirmatam.

Quomodo Apostoli in hoc momento verlati sint, jam *Tertio* videbimus. Paullina imprimis fuere loca Ephes. II: 2. VI: 10, 12. II Cor. IV: 4, ex quibus potestatem Diaboli asferere multi non dubitarunt. Valet vero de Eph. II: 2, quod sagacissimus *Ernesii* dicit: quod ille *αρχων τῆς αἰῶνος* dicitur, id ad improbos pertinet, qui dicuntur esse in ejus potestate, quia faciunt quod ipsi placet". In Cap. VI: 10, popularis quoque est accommo-
da-

datio ad vulgi cogitandi modum, qui dæmonum studia in vitiis quibuscunque quærere sœvit, & ad quem Paulus eo potiori jure alludit, quo significantius sed cautius symbolico nomine *κοσμοκρατεων-αρχων* & *εξουσιων* poterit idololatriam omnem & ethnicam potestatem designare. Quod enim Moses dudum proprie de idolis (fictis Diis) & idolorum cultoribus statuit, id Paullus & ceteri Apostoli sub symbolo Satanæ, *δαμωνιων*, quæ erant Græcorum ficti Dii, sistunt; erat enim insana idololatria cum omnibus suis templis, turpissimis ritibus, oraculorum fraudibus, & antistitibus e diametro opposita cultui Dei sano veræque moralitati, quam propagaret sublimis Jesu religio; quare etiam infinita odia & persecutiones ethnicorum magistratum, idolorum fabricatorum & pessimorum hominum devorare necesse erat primis vel modestissimis Christianis. Quum ergo directe non possent ethnicismi flagitia debellare, figurato & symbolico utebantur eundem in finem sermone, omnibus optime cognito. Diabolum, *αρχοντα τε αερος* tenebrarum principem, *θεον τε αιωνος τετετε*, variis *μεθοδεαις* infidelium occæcare, tentare, vexare animos sistunt ex accommodatione populi, non autem ex subtili rerum indagine, multo minus ex revelatione. Qui propriam urgent interpretationem, non vident quam inextricabiles sibi faciant nodos. Unde enim factum est, ut rariora sint hujus dictionis exempla, & ea quidem in iis tantum scriptis Apostolicis. quæ tervidiori concinnata sunt stilo ad ethnicismi profligandam superstitionem; Ejus generis est tota Apocalypsis. — Hinc factum est, quod *Quarto* monerimus, nec Paullum neque alium quempiam Apostolum, quum pro instituto haberent, doctrinam de vera origine peccati fusius & propriis terminis proponere, ulli mentionem injecisse Diaboli. Conferatur tota Epistola

stola Paullina ad Romanos, quæ in describenda depravatione humani generis, ejus vero per Christum emendatione & expiatione, accurate adeo & fideliter versatur. Si quis alius locus, hic omnino opportunissimus fuisset ad tale demonstrandum dogma, si dogmatis fidem unquam habere posset. Nec est quod Cap. XVI: v. 20, *ὁ δε θεος της ειρηνης συντριψει τον Σαταναν υπο της ποδας υμων εν ταρχαις*, allegetur in contrariam partem, nam manifesta proditur in verbis fictio popularis. Perlegatur porro Epistola Jacobi, quæ directa videtur ad præcavendos errores superstitionis & concupiscentiæ hominum carnalis, quam propriissimo loquendi genere indigitat Apostolus esse causam omnis tentationis. Annon verba Cap. I: 14, 15, *επιθυμια τικτει αμαρταν, αμαρτια αυτη θανατον* & Cap: IV: 1. *μαχαι — εκ των ηδωνων των στρατευομενων εν ταις μελεσι υμων* satis aperte indicant mali veram originem, nullo modo in dubium vocandam, licet semel in sequentibus, scilicet v. 7, populariter idem Apostolus excitaverit Christianos: *αντιστητε τω διαβολω, και φευζεται αυφ υμων*. Figuratam enim hanc locutionem quemadmodum eam de regno tenebrarum, quod proprie dici non possit, spectare tantum malum omne morale sive peccatum, peccandi illecebras, contextus & consilium scriptoris videtur innuere. Quemadmodum enim Deus, boni verique auctor rem omnem Christianam moderatur Eique obediendum est, ita ex opinione vulgari ponitur impietatis quidam princeps, non quod Deus imperium hocce ei tradiderit sive permiserit, sed quia funestissimum sit ejus exemplum ad imitandum. Quod reliquum est, non negabimus esse repugnantiam quandam apparentem in Biblicis hisce dictis, quam si non valeremus plene resolvere, genuina tamen manet Evangelica veritas, palmariis suis in capitibus considerata; atque clariora loca lucem dabunt obscurioribus.